1532. d. 23. aprilis.

Sigismundus primus Rex Poloniae Friderico Palatino Rheni Exercituum Romani Imperio Capitaneo.

97

Illustris Princeps et Domine affinis noster Charissime.

Magnopere nos delectat studium, cura et sollicitudo quam deliberando tuandoque populo Christiano ab Immanissimi Turcarum Imperatoris impetu et vi hostili Illustritas vestra cum Caesarea maiestate et aliis Germaniae Principibus et proceribus habet haec enim vigilantia Caesareae maiestatis et Illustritatis Germaniae Principum praecipua occasio poterit ne Christianitatis Regna et Provinciae in eum in quem inclinavunt interitum adducantur, Et equidem nos pro nostro in Christianam Religionem amore et affectu Dominum Deum precamur, ut actiones, fidei et populi Christiani defensorum fortunare illisque victoriam ex hoste concedere dignetur. Equos Cauterios duos ex his quod apud nos impraesens habuimus delectos Illustritati vestrae mittimus, non minus liberali animo et gratitudine quam ab Illustritate vestra desiderare possint, quos illa

non

non tam magni quam benevolentis muneris loco suscipiet, sicut et nos in recipiendis ab Illustritate vestra delicatis muneribus non rerum pondus, sed animi illius erga nos propensionem spectavimus, pro quibus ut decet magnas Illustritati vestrae agimus et habemus gratias, et non solum gratitudine nostra sed omni studio et benevolentia Regia referre vicissim illa curabimus Illustritatis vestrae Cui ex hoste victoriam et longam vitam cum summa felicitate coniunctam a Domino Deo optamus, Cuiusque amori nos commendamus. Dat. Cracoviae die 23. aprilis 1532.